

gistratus, adhuc reperit, quibus studia & opera sua ad propagandam Christi veritatem faciētia, securè poterit nuncupare & approbare. Quare haud infeliciter mecum agi iudico, quòd non solum liberum mihi est, ac securum vt lucubrationes hasce nomini vestro nuncupem: sed ad id etiam singulari vestra liberalitate ac benevolentia sic inuiter, vt verè ingratus censerì possim, nisi vel hac, vel aliqua consimili alia ratione obseruantiam nomini vestro debitam declarem. Oro autem Dominum, communem nostrum redemptorem ac seruatorem, vt quod in hac vestra Republica annos iam aliquot veritatis Euangelicæ studium obtinuit, obtineat ad finem vsq; constanter & immotè. Etenim non qui bene cœpit tantum, sed qui perseuerat etiam, saluus erit. Nec dubitari debet, fieri non posse, vt tam insignis diuinæ cognitionis gratia sine horribili exitio deseratur. Potuit diuina clementia peccatis nostris tempore ignorantiae parcere, sicuti manifestè sumus experti: si verò deserta luce, ad Aegypti tenebras descuerimus, & gratiæ Euangelij Dei contumeliam defectiōnis intulerimus, planè insensatus sit oportet, quisquis post eiusmodi impiam defectiōnem, quid expectandum sit singularis exitij, diuinare nequiverit. Quare Ecclesiam vestram vnā cū reliquis omnibus gratiæ Dei cōmendo: idq; vobis ab illius dari clementia opto, vt in tam bona causa sitis nō hæsitabundi, sed fortes & infracti: & hanc studio pietatis, castigandorumq; scelerum dexteritate ornetis, ne qua maleuolis hominibus obloquendi blasphemandiq; causa subministretur. simulque quos habetis in verbo veritatis ministros, qua decet honorificentia complectamini: & scholasticam iuuentutem, Ecclesijs vestris candidatam, alacri animo ad pios ac necessarios vsus alatis ac prouehatis: certi futurum, vt eiusmodi studio pio ac sacrosancto prædita Respublica, nunquam non sit propitium expertura DEVM: & si quid aduersi ingruerit, singularem illius sensura clementiam ac protectionem. Itaque viri magnifici ac præcellentes, quas vobis hic nuncupo studiorum meorum lucubrationes, oro benigno fauore hætenus accipiatis, ac prosequamini, quatenus ad eundem pietatis scopum tendunt, ad quem collimamus omnes, quotquot veræ religionis obseruantia tenemur: meque, meosque, pro magnificentia vestra fouendos complectamini. Datum Bernæ Eluet. in vestra ciuitate, Anno Domini M. D. L.

VVOLFGANGVS